Prophētīa Jōnae
ā Jōsēphō Paschāliō Marīnelliō
versibus exposita

I. Est Dominus Jōnae, ex Āmāthī sanguine, fātus.
[2] ‘Vāde,’ ait ‘ac Ninivēn magnam tē dēfer in urbem,
verbaque fac populō; quippe hujus crīmina ad aurēs
ūsque meās clāmant.’ [3] Jōnās surrēxit, et illinc,
ut Dominī ā faciē fugeret, contendit Ioppēn,
ac, nāvī inventā, quae Tharsīs prōtinus ībat,
condūxit mercēde ratā, et cōnscendit in illam.
[4] Ecce autem Dominus strīdentibus aequora ventīs
impulit, ēlātīsque tumēns mare inhorruit undīs;
jamque erat interitūra ratis. [5] Formīdine nautae
quisque suōs ōrāre deōs, et in aequora mercēs
prōicere, ut nāvim relevent. Dēscenderat īmam
sub puppim Jōnās, somnōque jacēbat in altō.
[6] Ergō, illī accēdēns, ‘Sēgnī tētē ēripe somnō,’
rēctor ait nāvis ‘cōnsurge, Deumque vocātō
rīte tuum, sī forte memor nōs servet ab undīs.’
[7] Tum vir ait sociīs: ‘Sortem mittāmus, ut istinc
unde malum hoc nōbīs pateat.’ Nec jam mora: ductīs
sortibus, in Jōnam cecidit. [8] ‘Dīc’ prōtinus illī
‘unde malum hoc nōbīs?’ ajunt ‘quās tendis in ōrās?
unde venīs? quid opus tibi? quā dē gente creātus?’
[9] Ille autem contrā ‘Jūdaeō ex sanguine crētus
sum,’ dīxit ‘Dominumque Deum, quī condidit aequor
ac terram, timeō.’ [10] Magnā formīdine captī,
‘Cūr id fēcistī?’ hī referunt (nōvēre profectō
quod Dominī ā faciē fugeret, nam dīxerat illīs);

[11] ‘Quid dē tē fierī est opus, ut maris īra quiēscat?’
(quippe magis mare fervēbat).
[12] ‘Mē mittite in undās,’
ille ait ‘ac positīs requiēscet fluctibus aequor;
quippe sciō, quod mē propter sēsē extulit undīs
tam fera tempestās.’ [13] Illī contendere rēmīs,
ut terram peterent: sed erat labor irritus omnis;
pontus enim, bacchante notō, magis ūsque tumēbat.
[14] Tunc Dominō extulerunt vōcem: ‘Deus optime, nōlī
istius ob mortem lētō nōs dēdere; nōlī
sanguinis īnsontis nōbīs indīcere poenās;
quippe facis quodcumque velīs.’ [15] Sīc tālia fātī,
continuō Jōnam arripiunt, et in aequora mittunt;
strātaque continuō posuērunt aequora fluctūs.
[16] Pertimuēre Deum nautae: pia vōta paventēs
vōvēre, ac Dominō prō mūnere sacra litārunt.
II. Intereā Dominus piscem, quī faucibus ingēns
exciperet Jōnam, subter freta caeca parārat;
ac trēs ille diēs, trīnāsque ex ōrdine noctēs,
squāmigerī sub ventre fuit. [2] Tum piscis ab alvō
ille Deum ōrāvit, [3] tālīque est vōce precātus:
‘Ad Dominum fīdēns mediō ē discrīmine vōcem
extulī, et ille audīt: īnfernī ex ventre sepultus
clāmāvī, advertitque pius clāmōribus aurem.
[4] In mare mē, Deus, aequoreī sub stāgna profundī
horrida, jēcistī: penitusque inclūsus in undīs
verticibusque tuīs, pontum fervēre sonantem
mē super audīvī. [5] At, quamvīs procul āctus ab ipsīs
lūminibus, Deus alme, tuīs, tamen integer ōlim
ēgrediar, rūrsusque vigēns tua templa vidēbō.
[6] Intima mē circum praecordia, et ūsque medullās,

invāsēre undae: mē ingēns vāllāvit abyssus;
immēnsumque meō capitī super astitit aequor.
7 Ultima dēvēnī subter fundāmina montjum,
ac vectēs terrae aeternum clausēre per aevum:
tū tamen haud patiēre meam putrēdine vītam
dissolvī; 8 cum namque ferus mē stringeret angor,
ad tē ferre precēs, et ad alta tuī ātria templī,
commeminī. 9 Quī vāna colunt simulācra deōrum,
hīs sua dēseritur pietās: 10 ego vōta salūtis
cūncta tibī solvam, ac meritae praecōnia laudis.’
    11 Haec dīxit. Piscī Dominus praecēpit; et ille
pāruit imperiō, vomuitque in lītore Jōnam.
    III. Est iterum Jōnae Dominus tum fātus, et inquit:
2 ‘Surge agedum, Ninivēn magnam tē dēfer in urbem,
atque ibi fac populō, quae tē tum, verba, docēbō.’
3 Surrēxit Jōnās, dīvīnaque jussa secūtus
contendit Ninivēn. Ninivē tam lāta patēbat,
ut trīnīs hanc esset opus lūstrāre diēbus.
4 Īre diem coepit Jōnās, populumque monēbat
inclāmāns: ‘Jam sōl decimum quater efferet ortum,
et Ninivē subvertētur.’ 5 Timor impulit omnēs;
crēdideruntque Deō. Jējūnia prōtinus urbī
indīcunt; omnēsque rudī, discrīmine nūllō,
inclūdunt sēsē saccō juvenēsque senēsque.
    6 Nūntius advēnit rēgem: sēsē extulit ille
prōtinus ē soliō: dītem prōjēcit amictum,
indūxitque sibī saccum, atque in pulvere sēdit.
7 Illius imperiō ac procerum, lēx lāta per urbem est,
ēdīcēns: ‘Nē quidquam hominēs, jūmenta, bovēsque
ac pecora accipiant pāstūs, nē pābula carpant,
nēve bibant undās: 8 hominēs jūmentaque sēsē

obnūbant saccō; atque omnēs prō vīribus altē
ad Dominum clāment: vertat dē trāmite gressum
quisque malō, penitusque ausīs absistat inīquīs.
[9] Quis scit? Forte Deus clēmentī pectore mōtus
īnflectetque animum, coeptāque recēdet ab īrā,
nec periisse sinet.’
[10] Vīdit Deus omnia clēmēns
haec fierī, illōrumque malōs sē vertere mōrēs;
et clādem, quam fātus erat, miserātus, acerbam
continuit.
IV. Graviter Jōnās id pertulit; īrāque
accēnsus, [2] versusque Deō, ‘Nōnne’ inquit ‘id ipsum est
quod jam ego praedīxī, cum mē mea terra tenēret?
Ībam prophereā Tharsīs; sat quippe sciēbam,
quod Deus es clēmēns, patiēns, longusque ferendīs
sontibus, et cūnctās indulgēns dēnique culpās.
[3] Ēripe nunc igitur, quaesō, hanc dē corpore vītam,
quippe mihī fīnīre diēs, quam vīvere, praestat.’
[4] Haec ait ex īrā. Deus illī reddidit: ‘Ecquid
īrāscī tē jūre putās?’ [5] Tum, moenibus urbis
ēgressus Jōnās, sōlis cōnsēdit ad ortum;
atque hīc sub rārā, quam ex rāmīs fēcerat, umbrā
stābat, ut aspiceret quid jam contingeret urbī.
[6] Intereā Dominus serpentī fronde comantem
sēverat hīc hederam; quae, sē laetissima tollēns,
astitit in Jōnae caput, atque umbrācula tendit.
Magnoperē Jōnās, nam valdē ārdēbat ab aestū,
illa est gāvīsus; [7] sed crās, sub lūcis eōae
adventum, Dominus vermem illūc mīsit edācem;
quī morsū pūbentem hederam percussit, et illa
āruit; [8] utque deīnde suum sōl prōtulit orbem,

ūrentem excīvit ventum. Sōl asper ab axe
in caput ārdēbat Jōnae; valdē ille calēbat.
Propterea mortem ōrāvit, dīxitque dolenter:
'Mors melior, quam vīta mihī.'
[9] 'Num causa dolendī
est tibi' ait Dominus 'prō hederā?' Respondit Iōnās:
'Jūre quidem ad mortem doleō.' [10] 'Tē cūra perūrit'
Omnipotēns retulit 'prō hederā, quae nūlla labōris
causa tibī fuit, ac nihil ut sē tolleret āctum est?
quam nox ūna tulit subitō, et nox abstulit ūna?
[11] atque ego nōn parcam Ninivē, quae magna frequēnsque
est urbs? quā centum vīgintī mīllia plūsquam
sunt hominum, quī nec laevam sēcernere dextrā
jam nōrunt? quā multa super jūmenta morantur?'